

COMPILATIO CHRONOLOGICA

A

TEMPORIBVS CAROLI M.

AD ANN. MCCCCX.



Nno Domini 772. Karolus Saxoniam vastat, cogens Saxones annuatim sibi causa honoris CCC. equos propinare. Iste Karolus transtulit studium ab Urbe versus Parisium.

773. Adrianus Papa primus, Romanus, sedit annis xxiv. dies lxiii. Iste dedit Karolo potestatem eligendi & ordinandi sedem Apostolicam. Iste Karolus fecit pontem trans Rhenum Coloniae. Iste ad numerum literarum Alphabeti cœnobita construxit, unicuique secundum ordinem literam auream, valentem plus quam C. libras Turonenses, relinquendo, ut ex ordine literarum tempus foundationis haberetur.

775. Corpora Sanctorum Gordiani & Epimachi de Roma transferuntur in Alemanniam.

776. Iterum Karolus Saxoniam intrat, & Orientales Saxones fiunt Christiani, Westphalis omnibus in deditionem acceptis. Episcopium Halberstadenſe fit in Osterwyk.

778. Wedekindus Dux Saxonum adhuc paganus Imperatori rebellat, & tres principes Karoli cum magno populo perimit. De cuius tum parte ad quatuor millia decollati sunt, iuuantibus Saxonibus conversis.

785. Wedekindus Dux Saxonum baptizatur Wormaciae à Karolo patrino, cum omnibus suis, & sic pax fit in terra. Iste Wedekindus habuit filium nomine Wigbertum devotum, qui & filium Wigbertum, similiter religiosum procreavit, qui causa orationis & reliquiarum Romam ivit, corpusque S. Alexandri, filii S. Felicitatis, à Roma integrum detulit in Saxoniam, in locum quid dicitur Wildesbusen juxta Halle.

792. Constantinus privatur regno per matrem suam Hyrenam, & excœcatur per eandem. B. Egidius & Magister Alcuinus floruerunt.

794. Iterum Karolus Saxoniam intrat. Mersborch cepit, & idolum dictum Hermensülen ibi destruxit.

796. Leo tertius Papa Romanus die S. Marci, cum iret cum letaniis, à Romanis excœcatus est, & abscissa lingua. Sed Deus ei visum & loquelam restituit. Quem Karolus vindicavit ad papatum restituendo, & reos morti adjudicando; quibus tum Leo vitam imperavit, ipsis in exilium relegatis.

797. Iterum Karolus expeditionem fecit in Saxoniam usque Padeborne, & sic bellum illud contra Saxones Karolus gessit xxxiiii. annis, quia xxxiiii. anno belli Wedekindus, de quo supra, baptizabatur. Tunc Saxones Francis adunati efficiuntur populus unus, & divisa est Saxoniam in octo Episcopatus. Frisonum etiam gens eo tempore recepit fidem Christianam.

799. Hyrena imperat; & Karolus venit Romam: ubi dum natalem Domini celebraret, in Ecclesia S. Petri Leo Papa ipsum coronavit, de hoc nihil prius cogitantem: & à populo Romano acclamatum est: Karolo Augusto à Deo coronato, magna & pacifico Imperatori Romano- rum, vita & victoria. Rediens Imperator, duxit Leonem Papam secum in Saxoniam: & sic Karolus imperavit annis xiv. qui prius regnavit annis xxxii.

800. Terræ motus factus est magnus, quem mortalitas secuta est in Gallia & Alemannia. Sol obscuratus est ita, ut xvii. diebus non appareret. Similiter luna defecit; quod multi dixerunt propter excœcationem S. Papæ & pii Imperatoris esse factum.

803. Karolus reliquias transtulit Aquisgranum, & plures Saxones in Franciam, ut unus esset populus.

804. Karolus tres habuit filios, scilicet Karolum, qui statim mortuus est: Pipinum, quem fecit regem Italiae, qui similiter statim mortuus est: & Lodewicum, quem fecit regem Aquitaniae. Pipinus reliquit filium Bernhardum regem Italiae. Tempore Karoli fuerunt quinque synodi celebratae.

809. S. Luderus obiit, & S. Bartholomæus transfertur Beneventum,

812. Rolandus Magnus obiit.

813. Karolus febre correptus obiit Aquisgrani.

814. Lodewicus dictus Pius, filius Karoli, imperat. Iste cum S. Bonifacio compilavit regulam Canonicorum secularium. Hic juxta patris sui votum, S. Ansharium fecit Archiepiscopum Hamburgensem, statuens eandem civitatem metropolim univ. borealibus populis.

815. Stephanus Papa Romanus sedit menses vii. Paschalis Papa Romanus.

818. Hildensemense Episcopium cepit à Lodewico Imperatore, quod proposuit in Ecclesia Aulica, i. e. Eltze S. Petri ordinasse. Sed miraculo ostenso in oratorio S. Dei genitricis in Hildensem, Apostolus cessit virgini gloriosæ.



823. *Nova Corbeja* inchoatur prope Huxariam.
825. *Rabanus* fit Abbas Fuldenfis.
826. Corpora SS. *Severi*, uxoris & filix ejus deferuntur in Thuringiam ab *Oibgario*, præfule Moguntino, in Ecclesiam S. *Severi*.
828. *Gregorius IV.* Papa Romanus, constituit octavam Assumptionis B. Virginis celebrari.
830. Corpora SS. *Marcellini* & *Petri* de Roma translata sunt in Germaniam. Item S. *Li-*  
*borius* de Gallia in Saxoniam, scilicet Padeborne. S. *Vitus* transfertur in Saxoniam, scilicet  
Novam Corbejam. Ab hoc tempore gloria Francorum translata est in Saxones.
840. *Lodewico* mortuo, & in Ecclesia Metensi sepulto, filius ejus *Lodewicus* regnat.  
Sed exortum bellum inter ipsum & fratres ejus, sic pacatum est Papa Sergio mediante, ut  
regno in quatuor partes diviso, *Lotharius* major natu Romam cum Italia, & Burgundiam,  
cum Lotharingia possideret: *Lodewicus* Rhenum cum Germania, *Karolus* Galliam, & *Pipinus*  
Aquitaniam. Iste *Lodewicus* junior, quia Hamburgensis Ecclesia fuerat à Danis funditus  
everfa, statuit ut una cum Ecclesia Bremensi S. *Anfcharius* regeret utramque. Qui etiam *An-*  
*fcharius* Danos & *Svetos* convertit ad Christum.
841. *Lotharius* imperat cum fratribus: qui xv. anno Imperii fit monachus. Hoc tem-  
pore egressi sunt de *Corbeja* monachi sanctitate insignes, qui Sclavorum gentem, quæ *Rugia-*  
*na* dicitur, convertebant, & oratorium in nomine Domini, & S. *Viti* eorum patroni, funda-  
verunt. Qui Sclavi postmodum à fide deficientes, religionem verterunt in superstitionem,  
S. *Vitum* pro Deo venerantes. Sclavorum autem varix sunt gentes, scilicet *Wandali*, *Pomera-*  
*ni*, *Winuli*, *Heruli*, *Sorabi*, *Rugiani* & ceteri. Fuit ibi quondam civitas nobilissima, dicta *Mu-*  
*netia*, quæ nihil non habuit jucundi & rari, quæ fuit maxima omnium Europæ civitatum,  
cujus hospitalitate moribusque nulla gens honestior aut benignior potuit inveniri. Fuit  
ibidem templum magnum daemonibus constructum, quorum princeps erat *Radegast* prope  
*Mekelenborg*. Hoc tempore *Normanni*, *Soeti*, *Dani* & *Sclavi* collecti, terra marique cunctos  
vexabant. *Thuronum* succenderunt, *Parisi*um obsederunt, *Lothringiam* vastaverunt. Tra-  
jectum, *Coloniam* & *Treverim* incenderunt, palatium *Aquisgrani* stabulum equis fecerunt,  
& ultimo terram, quæ adhuc *Normannia* dicitur, possederunt.
844. *Sergius* Papa Romanus, cognominatus *Os porci*. Propter quod sibi nomen, ita  
omnibus Papis mutatur. Rex *Bulgarorum* cum gente sua baptizatur, qui renuntians seculo  
fit monachus, filio regnum derelinquens. *Rabanus Maurus* & *Strabus* discipulus ejus clarue-  
runt.
849. *Johannes Anglicus* Papa fuit femina, & peperit inter *Colossenum* & S. *Clementem*.
852. *Lotharius* obiit, *Lodewicus II.* imperat: qui vidit patrem in tormentis. Quod cre-  
ditur ideo factum, quia hæresi *Nicolaitarum* tunc vigeni non resistebat. Sed filius, datis  
elemofynis multis pauperibus, patri succurrebat.
- Hæc convertuntur, anno 864.
873. S. *Ethmundus* rex Anglorum, occiditur à rege Danorum.
877. *Karolus II.* filius *Lodewici*, dictus junior & *Calvus*, imperat cum fratribus, sic quod  
*Lodewicus* tenuit Franciam, *Karolus* Almanniam, *Karolomannus* Bavariam: cujus filius *Arnolphus*.  
Hoc tempore *Flandria* fit Comitatus.
880. *Johannes Scotus* in scripturis eruditissimus, rogatu *Lodewici*, Hierarchiam S. *Dio-*  
*nyfii* de Græco transtulit in Latinum. A discipulis stilis confossus interiit.
889. *Karolus* tertius, dictus *Grossus* imperat. Corpus S. *Justini* transfertur in *Corbejam*.
891. *Arnolphus* filius *Karolomanni* imperat, qui bello cælitus administrato Danos abe-  
git, ut centum millibus paganorum prostratis, vix unts ex Christianis repertus est cecidisse.  
Sed de hoc superbiens, cum gloriam Deo non daret, nec ecclesias, quas pater exstruxerat,  
foveret, consumtus est à pediculis; & hic cessavit regnum *Karolensium*.
894. Dux primus *Bohemus*, dictus *Borzivvi*, cum uxore sua S. *Ludinilla*, baptizatur.  
De his natus *Vvratisslaus* pater *Vventisslai*.
897. *Remigius* Doctor claruit.
899. Maxima fames fuit, ut homines se ipsos invicem comederent.
902. *Lodewicus* tertius, dictus *Infans*, imperat: cujus tempore dividi cæpit imperium,  
ut unus in Italia, alter in Almania imperaret, usque ad *Ottonem* primum, qui utrobique im-  
peravit.
908. *Berengarius* primus, Saxo, imperavit annis tribus, prudens & bonus. *Vngari* Sa-  
xoniam & Thuringiam vastant.
910. *Ludolphus* Dux Saxonix, pater *Brunonis* & *Otonis*, Romam profectus, à Sergio Papa  
reliquias SS. Præfulum *Anastafii* & *Innocentii* impetratas detulit in *Gandersem*. Illic cum filia  
sua *Hadomoda*, prima *Abbatissa* Ecclesiæ, quam sibi construxit, contulit xi. millia manforum, &  
solemne cænobium in *Brunteshusen* construxit. Istius *Ludolphi* filiam *Meschilda* *Lodewicus* Im-  
perator, filius *Arnoldi*, duxit uxorem.
911. *Berengarius II.* regnat in Italia. *Conradus I.* in Almania. Tunc incepit ordo *Clunia-*  
*ensis* sub *Odone* Abbate. 914. *Hat.*



914. *Hatto* Archiepiscopus Moguntinus, devoratus est à muribus in Rheno, quia multitudinem pauperum tempore famis cremabat in horreo, & jurare consuevit: *Si non est verum, devorer à muribus*; unde & sic evenit sibi. Iste Hatto tradidit *Adalbertum* Imperatori Lodewico, & eum fecit decollari.

915. *Ungari* Almaniam, Basileam, Franciam, Lotharingiam & Romam devastant. Sed redeuntes circa Fuldam vincuntur.

920. *Hinricus primus*, dictus *Auceps*, Saxo imperat. *Auceps* dictus est, quia in aucupio assumptus est in regem. Iste *Henricus* Ungaris, qui usque ad hoc tempus tributum receperunt à Christianis, misit canem, auribus & cauda abscissis. Unde Ungari irati, cum L. millibus bellatorum Christianos adierunt. Quos Imperator cum XL. millibus militum eorum interfecit eliminavit. Iste *Hinricus* Danorum regem, *Worm* dictum, quia crudelissimus vermibus fuit Christianis, Daniam intrans adeo perterritus, ut pacem suppliciter deposceret. Bohemos etiam & ceteros Sclavos, ita praelio percussit, ut ceteri, qui perpauca remanserant, & regi tributum, & Deo Christianitatem, ultro promitterent. Idem iste, cum sibi unctio & corona offerretur à Papa, dixit: *Satis est mihi, ut prae majoribus meis rex dicar: penes meliores sit unctio & diadema, tanto honore nos arbitramur indignos.* Iste sermo placuit omnibus. Idem à rege *Rudolfo* Burgundo lanceam Domini precibus & minis impetravit, per quam de hostibus saepe triumphavit, eamque filio suo *Ottoni Magno* reliquit, ut Imperatorum tutela remaneret.

936. *Henricus* Imperator obiit anno vitæ suæ LX. regni vero XIX. sepultus in Ecclesia *S. Petri* *Quedelingborch*. Iste construxit Ecclesias in *Quedelingborch*, *Gandersem* & *Gosler*. Cujus uxor *B. Melchildis* fundavit cœnobium in *Palude* seu *Polde* & *Northusen*. Ista *Melchildis* fuit filia *Tyderici* Ducis Saxonum, quæ genuit *Henrico* filiam *Gerburdis*, & filium *Ottonem*, cognominatum *Amor mundi*. Item genuit *Henricum Probum*, & *Brunonem*, qui factus est Episcopus *Coloniensis*, *Tidericus* pater *Mechtildis* fuit de genere magni *Wedekindi*, primi Christiani principis Saxoniarum.

938. *Otto primus*, cognominatus *Magnus*, & *Amor Mundi*, imperavit annis XXXVIII. sepultus in *Magdeburg*, quam & Archiepiscopatum fecit. Hic iustissimus fuit; ideo bipennis ejus cotidie pependit in curia, in signum ulciscendi vindictam. Hujus jurare fuit *per barbam Ottonis*. Iste subegit *Boleslaum* Ducem Bohemiarum sibi rebellantem, Archiepiscopum Moguntinum civitate obsessa cepit & incarceravit. Iste *Daniam* plenarie convertit ad fidem, & *Slaviam*. Iste *Hermannum* de pauperibus ortum, sed fidelem in omnibus, vicarium fecit in Saxoniam, iturus in Italiam: ubi habito consilio Episcoporum *Johannem* Papam, cognominatum *Ostavianum*, multis criminibus accusatum, cum incorrigibilis esset, deponi fecit, & in locum ejus *Leonem* II. fecit ordinari, à quo ordinatus, per quinquennium in Italia moratus, Romam pristinae reddidit libertati, *Berengarios*, qui Romam occuparant, debellando: reversusque in patriam, Sclavicam gentem duxit ad fidem, quibus *S. Adalbertum* primum Archiepiscopum præfecit, in tantumque fides crevit omni tempore *Ottonum* trium, ut nec angulus esset in Sclavia, qui non vicis & urbibus ac monasteriis abundaret.

939. *Venceslaus* à fratre suo occiditur.

953. *S. Bruno* fit Episcopus *Coloniensis*, frater *Ottonis* Imperatoris. Idem *Otto* corpus *S. Innocentii* martyris transtulit *Magdeborch*, & Ungaros necavit juxta *Augustam*.

961. *Otto* Rex coronatur Romæ à *Johanne* Papa. Ipse invenit venas auri & argenti *Goslaria*. *Berengarius* quartus cum filio suo imperat in Italia. Hic habebat relictam *Lotharii* Imperatoris in carcere; quam *Otto* Rex, potenter cum *Almanis* intrans Italiam, *Berengario* depulso, liberavit, eamque duxit uxorem. *Otto* II. dictus *Rufus*, filius *Ottonis* I. coronatur, qui decem annis gubernans imperium, cum in *Calabriam* bellum transferret, à *Sarracenis* & *Græcis* victor & victus, Romæ decessit, apud *S. Petrum* Romæ sepultus.

967. *Parthenopolis* i. e. *Magdeburg*, construitur, & Episcopatus *Pragensis*.

974. *Otto* *Rufus*, de quo supra, imperat, qui & *Pallida mors*, & *Sanguinarius* dicitur, propter multam ejus victoriam. Hic *S. Bartholomæum* de *Bonoventu* Romam deportavit, & Romæ sepultus inter *S. Petrum* & *Petronillam*.

975. *S. Vdalricus* Episcopus *Augustensis* migravit ad Dominum, anno episcopatus sui quinquagesimo.

984. *Otto* tertius, dictus *Mirabilia mundi*, filius *Ottonis* II. adhuc puer, quia XVIII. annorum, in regnum sublimatur, quod & forti sceptro iuste gubernavit. Huic de tributo *Longobardiarum*, scilicet MCC. libris auri purissimi annuali, Archiepiscopus *Maguntinus*, provisor ejus, fecit crucem, hunc titulum habentem: *Auri sexcentas hac crux habet aureas libras.* Iste *Aquisgrani*, causa admirationis, effodere fecit ossa *Karoli Magni*, de quo ultionem divinam recepit, quam ei *Karolus* apparens prædixit, scilicet quod immatura morte præventus, vitam finiret sine filiis: quod & contigit. Nam Romæ degens, dum cogitaret, qualiter jura regni & Ecclesiæ ad antiquum statum reformaret, Romani subito contra eum conspirant, & aliquot suorum peremptis, vix Roma decessit. Cui uxor *Crescentii* chirothecas, & anulum amoris, memoriale misit: cujus quidem *Cæsar* nescius veneficii, quamprimum illis tactis, morte præventus est. Sic corpus *Augustæ*, reliquum autem corporis *Aquisgrani* sepelitur. Cui successit *S. Henricus*.



987. *Leo VIII.* Papa statuit, ut nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatoris.
989. *Gregorius quintus*, qui & *Bruno*, Papa Saxo, à *Crescentio* urbis præfecto dejectus est, & *Placentius* assumptus. Cujus Imperator gravem fecit ultionem.
992. *S. Bernwardus* fit Episcopus Hildesemensis: qui solemne cœnobium in honorem *S. Michaelis* ibidem construxit, & septuaginta corpora Sanctorum ibi de Roma portavit, & hydriam, in qua Dominus fecit vinum ex aqua in Galilæa.
994. *S. Adalbertus*, Pragensis Episcopus, patitur in *Prucia* à Ruthenis: cui successit frater ejus *S. Gaudentius*.
997. Memoria animarum, crastino omnium Sanctorum celebranda instituitur. Tunc enim multorum animæ se manifestabant, subsidium fidelium requirentes, & dicentes: *Sicut dies vivis, sic nox est concessa defunctis.*
1002. *Henricus II* rex, sed primus Imperator, Saxo & Dux Bavarus. Hic est *Henricus*, cujus uxor *S. Kunegundis*: qui sororem suam *Giulam* Stephano Regi Ungarorum dedit, uxorem, per quam ipsum cum toto regno convertit ad fidem. Et, hic *Stephanus* similiter sanctus est. Iste *Henricus*, cum prope finem vitæ esset, Natalem Domini Bavenberch, Pascha Partinopoli, Pentecoste Goslarix celebravit. Postea veniens in castrum Borch, prope Göttingen, ibi languore correptus, mortuus est. Inde Bavenberch translatus, sepultus est in Ecclesia *S. Petri*, quam ibi construxit.
1006. Episcopium *Bavenbergense* constituitur à dicto *Henrico*.
1008. *S. Bruno* de *Querverde* patitur.
1011. *Henricus* prædictus coronatur.
1015. *Hernestus* Dux perimitur, & *Benno* Dux Saxonix, vir strenuus, defensor Ecclesiarum, & omni probitate conspicuus, obiit, cui successit *Bernhardus* filius ejus.
1022. *S. Bernwardus* Episcopus Hildesemensis obiit; cui successit *S. Godehardus* ibidem sepultus, qui prius fuit Abbas *Hersfeldensis*. **CONRADUS** primus rex imperat, dictus prius *Cono* de *Webelinge*, in *Svvevia*.
1029. Mortuus est *Bernhardus* Dux Saxonum, cujus hæreditatem *Ordulfus* & *Hermannus* filii partiti sunt.
1040. **HENRICUS** tertius Rex, & secundus Imperator, filius *Conradi* imperat annis XVII.
1057. **HENRICUS** quartus & Imperator III. filius *Henrici* imperat annis LII.
1070. Saxones pugnant cum *Henrico* & destruunt *Hertesborch*.
1086. Primus rex *Bohemix* coronatur ab Imp. *Henrico*.
1090. *Magnus* Dux Saxonum Slavos rebellantes subegit, captis XIV. urbibus.
1092. Ordo *Carthusiensium* cœpit sub magistro *Brunone*.
1096. *Brandenborch* urbs Slavorum, capta est à *Marchione Vdone*.
1099. Ordo *Cisterciensium* cœpit sub *Ruperto* Abbate.
1101. *Tidericus* de *Katelnborch* fundator Ecclesix *S. Alexandri* in *Eimbeke* obiit.
1103. *Jerusalem* Christianis restituitur, Soldano per *Gudfridum* devicto.
1106. *Conradus* filius *Henrici IV.* quem pater prius coronavit, & post reprobavit, plenus fide fideliter migravit à seculo.
1109. **HINRICUS** V. imperat, cujus pater prædictus *Hinricus* quartus ad tantam paupertatem devenit, quod ocreas pro pane exposuit, & isti filio gladium hæreditavit, dicens: *Si mihi plus dimisisses, plus tibi misissem.*
1108. Mortuo Duce Saxonum, *Magnus* nomine, Cæsar ducatum *Ludero* Comiti tribuit, eo quod *Magnus* filium non haberet, sed filias. *Luderus* ergo Dux Saxonum gubernavit cum modestia tam Slavos quam Saxones.
1113. *B. Bernhardus* induit ordinem.
1115. Bellum maximum in *Wolpesholte* Cæsaris & Saxonum. Imperator namque *Henricus V.* *Halverstad* destructa, *Brunswigk* & *Orlemünde* obsessis, nitebatur Saxoniam facere tributariam. Sed isti adjutorio Dei se fortiter defendentes, tam ab illis Christianis, quam ab altera parte à *Sclavis* paganis, terram suam liberaverunt.
1120. Ordo *Præmonstratensis* cœpit sub *Roberto*, Versus:  
Anno milleno centeno bisque deno  
Sub patre *Roberto* *Præmonstrati* viget ordo.
1123. *S. Otto* *Babenbergensis* Episcopus vivus claruit. Qui adjuvante *Bolislao* Polonorum Duce Slavos, qui *Pomerani* dicuntur, cum eorum principe *Vvarislao* convertit ad Christum.
1125. *Hinricus* Cæsar obiit apud *Trajectum*, *Spiræ* delatus & conditus. Et quia filium non habuit, principes *Maguntix* convenientes, *Luderum* Ducem Saxonum, qui & **LOTHARIUS** III. dictus est, in regem elegerunt. Iste in bellis expertissimus, victor frequentissimus, justitiæ amator, prædecessorum suorum *Constantinorum*, *Karolorum* & *Ottorum* imitator, imperat annis XI. Diebus suis Ecclesia pace gaudebat, divini cultus religio cresce-



creſcebat, cunctarum rerum opulentia abundabat. Cæpitque in diebus ejus nova lux mundo oriri, quia pax erat inter regnum & ſacerdotium.

1127. Walkenrede fundatur.

1131. *Innocentius* ſecundus Papa Romanus, qui & *Gregorius*. Iſte coronavit *Lotarium* cum conjuge ſua *Rikenza*. Iſte in præſentia regis & reginæ celebravit ſynodum XXXVI. Episcoporum *Leodii*, ubi *Otto* Halverſtadienſis, Episcopatu privatus, reſtituitur. *Ericus* frater *Kanuti* regis Danorum, dictus *Haſenvoit*, i. e. pes leporis, propter continuam fugam ejus à bellis, cum patruo ejus nomine *Magnus* bellum aggreſſus, cum paucis *Sconenſibus* percuffit agmina univerſa Danorum; & factus eſt *Ericus* ea victoria inſignis, & creatum eſt ei nomen novum, ut *memorabilis* appellaretur. Hoc tempore invaluit per univerſam *Slaviam* multiplex idolorum cultura. Habebant enim Deos multos, ſcilicet *Redegaſt*, *Sternebok*, quem appellabant nigrum Deum, cui adverſam fortunam adſcribebant; & ſuper omnia numina præpollebat Deus *Rugianorum* *Swantévit*, i. e. ſanctus *Vitus*; cujus intuitu cæteros ſemideos æſtimabant. Imperator autem bonus, cujus erga vocationem gentium virtus fuit, pacem reformavit tam *Slavis* quam *Saxonibus*, dans Ducatum *Saxonie* *Henrico* genero ſuo *Duci* *Bavariæ*; quem ſecum aſſumens iterum tranſiit *Italiam*, ibique immatura morte præventus eſt, corpusque deſuncti perlatum eſt in *Saxoniam*, & *Luturæ* tumulatum.

1138. **CONRADUS II.** *Svevus* imperat, qui inductione *B. Bernhærdi* cum innumeraibili multitudine vadit ad ſubſidium terræ ſanctæ. Secum erat *Dux* *Bohemie*, *Dux* *Lotharingie*, *Comes* *Flandriæ*, *Lodewicus* *Rex* *Franciæ*, & cæteri innumerabiles. Non eſt auditum à ſæculis, tantum conveniſſe exercitum. Qui tranſierunt per regnum *Ungariæ*, uſque ad fines *Græciæ*. Quid dicam? univerſi perierunt fame & ſiti in deſerto maximo. *Rex* & validiores quique, qui ſuperfuerant, in *Græciam* refugerunt. O judicia *Dei* excelsa! Tam grandis expeditio cum modico emolumento ſoluta eſt.

1140. Ordo *Johannitarum* cæpit. Reverſo rege *Conrado* bellum oritur inter eum & *Saxones*. *Opidum* *Groninge* diruitur, *Anhalt* urbs incenditur. *Denuo* *Frankenverde* curiam habuit *Cæſar*, ubi *Gertrudem* filiam *Lotharii*, viduam *Hinrici* ducis, fratri ſuo *Hinrico* conjunxit, & hac occasione pax facta eſt. Inde *Rex* *Brunſwyk* divertens, honorifice ſuſcipitur, & *Hinricus* junior fit *Dux* *Brunſvicenſis*. Et *Dux* *Poloniæ*, qui habuit *Conradi* regis ſororem uxorem, rebellans vincitur, & pane ſuſtentatur.

1145. *Riddageſhufen* prope *Brunſchwyc* delegatur ordine monaſtico. *Episcopus* *Halberſtadenſis* occiditur. Hoc autem fecerant familiares *Martini*, tunc ibi *Præpoſiti*.

1148. *Bruno* *Episcopus* *Hildeſemienſis* devotus, primo cæpit *Oſtavam* *nativitatis* *B. Virginis* celebrare.

1151. **CONRADUS**, reverſus à terra ſancta, *Bavenberge* ſepultus.

1152. *Fridericus* primus imperat, largus, ſacundus, ſtrenuus, & in omnibus glorioſus. *Henricus* *Archiepiſcopus* *Moguntinus*, quia non erat præliator, ſed *Eccleſiæ* *DEI* manſuetus rigator & plantator, tanquam inutilis depositus, divertit in *Einbeke*, ibique apud *S. Alexandrum* ſepultus eſt.

1162. *Hinricus* *Dux* *Saxonum*, *Eccleſiam* in *Lübek* inſtituit in honorem *S. Mariæ* & *S. Nicolai*. Iſte eſt *Henricus*, qui tanta fecit *Romæ* cum *Friderico* *Imperatore*.

1164. Ordo *S. Trinitatis* cæpit. *Petrus* *Lumbardeus* ſummas compoſuit, & *Petrus* *Comeſtor* *Scholasticam* *Hiſtoriam*.

1179. *Hinricus* *Dux* *Saxonum* perrexit *Jeruſalem*, pro peccatis ſuis adorare *Dominum*, ubi ſteterunt pedes ejus: committens terræ tutelam *VVichmanno* *Archiepiſcopo* *Magdeburgenſi*: habens in comitatu ſecum *Episcopum* *Lubecenſem*, *Abbatem* *Brunſvicenſem*, *Præbitalum* *regulum* *ſclavorum*, *Comitem* *de* *Swerin*, *Comitem* *de* *Blankenborch*. Reliquit autem *Egbartum* *de* *Wulfelbette* in miniſterium *Dominæ* *Duciſſæ* *Mechildis*, religioſiſſimæ feminæ, quæ erat ſummæ pietatis erga afflictos, eleemoſynarum larga erogatrix, fidelis & devota, docuitque filios *Henricum*, *Otonem*, & *Wilhelmum*, & filiam *Rikeſen*, ſicut de *Tobia* legitur, ab infantia timere *Dominum*. De gloria iſtius Ducis, & occuſu Principum in via, tam *Imperatoris* *Conſtantinopolitani*, quam *Soldani*, vix credibilia ſcribuntur. Obtulit autem *Dux* ad ſanctum ſepulchrum pecuniam multam, & *baſilicam* *S. Crucis* veſtivit auro puriſſimo, deputans redditus annuos ad cereos comparandos. Dedit etiam *Templariis* & *Hospitalariis* dona plurima, & arma, & mille marcas argenti. *Soldanus* ſolemniter ſuſcipiens eum, conceſſit ſibi *D.* armatos, qui per terram eum deducerent, propinavitque mille octoginta eqvos, quorum XXX. habebant frenos argenteos & fellas de ebore: & VI. camelos, qui dona alia, quæ ſibi dederat, portarent. Inde cum honore revertitur in patriam.

1189. **HINRICUS VI.** filius *Frederici*, imperat.

1197. *Innocentius* III. *Papa* *Campanus*, qui compoſuit *Decretales*, & *librum* *de* *miſeria* *humanæ* *conditionis*.

1198. **OTTO** & **PHILIPPVS** eliguntur, ut imperarent. Ordo *Templariorum* ſtabilitur. *Livonia* recipit fidem *Chriſtianam*.


1199. *Brunſwik* concluditur à *Philippo*.



1200. *Constantinopolis* capitur à Francis & Venetis.  
 1201. Ordo *Teutonicorum* cœpit.  
 1205. Ordo *Prædicatorum* cœpit. 1206. *Goslaria* capitur. 1207. Ordo *Minorum* cœpit.  
 1208. *Philippus* occiditur. 1209. *Otto* quartus coronatur. 1218. *Otto* obiit.  
**FRIDERICVS II.** de *Stouffenborch* imperat. Istum coronavit *Honorius*, qui & ipsum  
 excommunicavit. Iste iuit in subsidium terræ sanctæ, ubi & mortuus est, cum *Lodewico* Mar-  
 chione *Thuringiæ*, marito *S. Elisabeth.*  
 1220. Ordo *Carmelitarum* cœpit, quem dicunt institutum à *Juda Machabæo* cum pallio  
 Helix. 1231. Ordo *Servorum S. Mariæ* cœpit.  
 1245. **HINRICUS RASPO** imperat.  
 1248. **WILHELMUS** Comes *Hollandiæ* imperat.  
 1250. Ordo *Heremitarum B. Augustini* cœpit,  
 1255. *Wilhelmus* Imperator occiditur.  
 1258. **RICHARDVS** Rex eligitur.  
 1259. *Constantinopolis* olim capta à *Venetis*, recuperatur à *Græcis.*  
 1265. *Clemens* quartus Papa, natione *Provincialis*, Prius fuit uxoratus, & Papa fa-  
 ctus, dedit filiæ suæ pro dote XXX. libras parvorum denariorum,  
 1273. **RUDOLFUS** Comes de *Havensberge* imperat.  
 1288. Consummatum est monasterium *Walkenrede.*  
 1290. **ADOLFUS** Comes de *Naschou* imperat.  
 1291. *Herlingberg* capitur circa *Goslariam.*  
 1299. *Brunsvik* occiduntur Magistri *Gildonum.*  
 1300. Ordo *Speliantium* cœpit. Annus *Jubileus* fuit.  
 1301. **ALBERTUS** filius *Rudolfi* imperat.  
 1309. *Flagellatores* sive *Crüchbröder* currunt per mundum.  
 1310. **HENRICVS XVII.** Comes *Lützingenborch*, cum filio, dicto *Henricus*, fit  
 rex *Bohemiæ.*  
 1311. Ordo *Paulinorum* cœpit. Ordo *Templariorum* destruitur, & Imperator coronatur.  
 1317. *Rudolfus* Dux *Bavariæ* & *Albertus* Dux *Austriæ*, eliguntur in discordia, & im-  
 perant.  
 1347. **CAROLUS** quartus Rex *Bohemiæ* imperat, & coronatur *Romæ*, anno 1355,  
 die *Paschæ* per *Cardinalem Offiensem.*  
 1367. Bellum in diocesi *Hildesemensi.*  
 1370. *Alvelde* capitur *Versus:*  
 Urbem nunc *Alveld* bini *Duces* iniere.  
 Strips erant ambo *Brunsvyk* *Albertus* & *Otto.*  
 1374. *Consules* in *Brunsvik* capiuntur, & anno sequente *Consules* in *Northusen* ca-  
 piuntur.  
**WENZESLAUS** filius *Karoli* imperat 1382. Bellum prope *Winsen* 1388. Bellum pro-  
 pe *Goslar* magnum 1393, *Wenceslaus* à fratre captivatur & includitur *Pragæ* 1394.  
 1399. Bellum *Episcopatus Monasteriensis* contra dictos *Vörst* de *Lymporch.* *Versus:*  
 Millenis quadringentis uno minus anno  
*Otto* bellavit *Lymporch* *Vörst* suppeditavit.  
 Clara dies *Galli* *Lymporch* captum dedit illi.  
 Sunt & captivi quasi centum connumerati.  
 1400. **RUPERTUS** Dux *Heydelbergensis* eligitur in regem *Romanorum*, *Wencesla-*  
 rege *Bohemiæ* reprobato.  
*Fredericus* Dux *Brunsvicensis* interficitur prope *Vrisler.* Dux *Saxoniæ* & *Episcopus Ver-*  
*densis* capiuntur cum cccc. equis. *Hildesemenses* ceperunt quasi octingentos de *Mo-*  
*ringe* & *Hardeghefen.*  
 1401. *Henricus* Dux *Brunsvicensis* vindicavit sanguinem fratris.  
 1405. *Monasterienses* vincunt *Markenses.* *Versus:*  
 In Domini mille quinque annis quatuor C.  
 Traxerunt enses *Prædis Dulmamentis.*  
*Markenses* quærunt, sed turpiter hi fugierunt.  
 Centum fugati sunt terquini galeati.  
 Et sunt armati per inermes sic superati.  
 Sex quadragenas captant armis quasi plenas.  
 Succumbunt mœste, certant nostrates honeste,  
 Ex nostris funus fuit exul simul unus.  
 Est laus magna Dei tali tribuenda diei.  
*Paulus* in hac victor, sanctus *Gereon* quoque victor.



1410. *Sigismundus* Rex Ungariæ, anno regni sui xxiiii. electus est in regem Romanorum. Eclipsis lunæ nocte bonæ sextæ feriz. Isto die moriebatur *Ducissa Brunsvicensis*, mater *Erici*.



## XI.

## CHRONICON RIDDAGSHVSANVM

AD ANNVM VSQVE MDVIII.  
CONTINVTVM.

Ex MSto.

1. **E**stum divisionis Apostolorum instituitur.
2. *Priscianus Grammaticus* fuit.
3. Terribilis terræ motus fuit xi. diebus.
4. *Dyonisius Abbas Cyclos Pascales* invenit.
5. *Narses Sarcularius* Italiam liberat.
6. *Narses Sindobaldum Regem* suspendit.
7. *Antiochia* civitas divinitus subversa est.
8. Ignis recidit de cœlo in forma lanceæ.
9. *Johannes tertius Papa*.
10. Sanctus *Fulgentius* floruit.
11. *Maglorius Dolensis Archiepiscopus* miraculis claruit.
2. Sambucus arbor botros vitis protulit.
3. *Huc usque Jordanus Episcopus cronicam scripsit.*
4. Hyemps sic exasperatur, ut aves manu capiantur.
5. *Justinianus Imperator* dementia interit.
6. *Justinus minor* vel junior imperat.
7. *Armeni* fidem Christianam suscipiunt.
8. *Longobardi* intrant Italiam.
9. *Narses Patricius* moritur dolendus Romanis.
- LXX. *Samson Dolensis Episcopus* virtutibus claruit.
1. Sanctus *Vedastus*.
2. *Amandus* nascitur.
3. †
4. *Fortunatus Poëta* fuit.
5. *Benedictus primus Papa*.
6. *Justinus* facit *Tiberium Casarem*.
7. Imperator *Justinus* obiit.
8. *Tiberius 2dus*. Hic optimus Imperator.
9. *Gothi* ad fidem convertuntur.
- LXXX. *Mauricius Dux* vicit *Perfas*.
1. *Pelagius secundus Papa*.
2. *Gregorius Doctor* libros moralium componit.
3. *Hunnigildus Rex* pro fide occiditur.
4. *Mauricius* imperat.
5. *Fredegundus* interficit *Hilpericum Regem Francorum*.
6. Sanctus *Mauricius & Goa* claruerunt.
7. *Saxones* Gallias vastant.
8. *Longobardi Ancharium primum Regem* constituunt.
9. *Richardus Rex Gothorum* heresim abjuravit.
- XC. In *Constantinopoli* nascitur puer quadrupes.
1. *Fredegundus* astucia vicit Regem *Austriacorum*.
2. Diluvium secundum fuit ultimum per mundum.
3. *Gregorius primus Papa*; hic Doctor egregius.
4. In *Nylo* apparuerunt duo animalia in speciem humanam.
5. *Tunica Domini* nunc invenitur.
6. *Anglia* convertitur.
7. Sanctus *Columbanus Doctor Scotorum* claruit.
8. *Archiepiscopus Londomarensis* transfertur in *Cantuariensem*.
9. *Edilbertus Rex Anglorum* successor *Sigiberti Regis* convertitur ad prædicationem *Augustini*.